Schonei Andreae: Gratulatio ad Ill. et Rev. D. D. Petrum Tylicki, Ep. Crac. in primo episcopatus sui ingressu.

Gratulatio.

Ad Illustriß. ac Reuerendiß. Dominum,

D. PETRVM TYLICKI,

EPISCOPVM CRACOVIEN. DVCEM SEVERIEN. ACADEMIÆ CRACOVIEN.

Cancellarium Amplissimum,

In primo Episcopatus sui ingreßu,

AB ANDREA SCHONEO, SACRAE THEOL. ET I. V. Doctore, Rectore & Vicecancellario Academiæ Crac. nomine eiusdē Vniuersitatis,

In æde B. V. Mariæ 21 Martii, Anno D. 1607.

habita.



CRACOVIÆ.

In Officina Lazari, Anno Domini:

1607.

R. d. Joanni ... W. d. Canonico Cracoviensi, ...

AMPLISSIMO VIRO,
Petro Tylicki, Episcopo Crac.
ANDREAS SCHONEVS.

REDIIT ITERVM AD TE Gratulatio nostra, nuper coram te, in optatissimo tuo in Vrbē hāc ingressu habita, nouo Schemate induta, id est Typis procusa; iterumq; tuo se patrocinio venditare, tuo honori applaudere gestit. Nihil in ea fucatum verbis, affectatum sententiis: sola candidæ fidei & veritatis laude gloriatur. Nam & vita tua ab omni simulationis & ostentationis fuco & artificio semper fuit aliena: & hæc Dictio nostra tantum abesse debuit à specie adulationis, quàntum à necessitate. Neque nostri instituti fuit virtutum tuarum Panegyricum canere, quæ erudita, quæq; ingenia infrà se relinquunt, & quas satis ornatè laudauerint, qui eas fideliter percēsuerint. Eadem quoq; opera tibi de Vicecancellariatu Academiæ mihi collato, gratias ago: neque tam de dignitate, quàm de iudicio tuo & singulari in me amore plurimùm gaudeo. Accipe igitur hoc deuotissimæ voluntatis qualecunque argumentum, & cogita, quicquid uerbis exprimitur, minus esse eo, quod animo concipitur, sed & animum à re ipsa vinci & superari. Viue Valeq; diu ac fœlix, Mæcenas amplissime, ac Schoneum bis tuum, & nunc, & prius, solitâ beneuolentiâ complectere. E Collegio Maiori 23 Martii 1607.

GRA-

GRATVLATIO.

SI VNQVAM ANTEA, diuinæ benignitatis numen Academiā noſtram propiùs adſpexit, optatiſſimaque hilaritatis & fælicitatis lux literis noſtris clariùs affulſit, Illuſtriſſime Antiſtes; illa præcipuè fæliciſſimo ſidere exorta dies, incredibilem nobis attulit voluptatis iucunditatem, in certamq́ue dignitatis amplificandæ ſpem animos omnium erexit; qua celebris fama, tuæ dignitatis prænuncia, volucres mutuata diſcurſus, mille ſonora vocibus percrebuit; te ſingulari Dei munere, æmulis Pontificum Regumq́ue ſtudiis, virtutum tuarum maximis meritis, ſumma omnium læticiâ atq; Gratutione, Epiſcopū Cracouienſē renunciatū eſſe. Cuius lætitiæ geſtientis, & exundantis, non eadem fuit natura & conditio, quæ cæterorum gaudiorum eſſe conſueuit: illa temporis ſpatio ſenſim ac paulatim langueſcunt, franguntur, intercidunt; hæc mora & diuturnitate vires & ardorem aſſiduè, acquirit, ita vt ſe capere nequeat, dedigne-

tur pectorũ latebras, foraſque erũpere eluctariq́; conetur. Vides quã amœnæ omniũ facies, quàm amabiles vultus, quæ alacritas animorum, quæ attonitarum mentium admiratio! vt in omnium ore, vultu, oculis, publicæ hilaritatis decus renideat, & tacita animorum iudicia ſerenis frontibus quaſi prælegantur. Fæliciores nos maioribus noſtris: quem illi aſſiduè à Deo precati fuerant, eum nos tandem aliquando conſecuti ſumus, imò meliorem te præſtas quàm illi optauerant, omneq́ue illud minus eſt, quod mente & animo finxerunt, eò, quod tu factis & rebus, ingenio & virtutibus, oſtendis, exprimis, repreſentas. Si enim vniuerſæ vitæ tuæ curſũ mẽoria repetere velimus; quid aliud vita tua fuit, quàm omnis induſtriæ & veri laboris curriculum, omnis virtutis atque dignitatis paleſtra, omnis gloriæ atque laudis immortalis theatrum. Primam ætatem, in optimarum artium diſciplinis percipiendis; inſequentem, in vſu & experientià rerum colligendà; mediam, in regũ obſequiis, in negotiis ciuilibus tractandis; hanc ingraueſcentem, in præcipuis, & ampliſſimis Eccleſiæ & Reipub. muneribus atque dignitatibus ſuſtinendis, glorioſè ac fæliciter exegiſti. Nulla doctrina e

legantior

legantior, nulla ſcientia grauior, quam non inge-
nio & induſtriâ comprehendiſſes: neque tantùm
iis ſtudiis, quibus ad humanitatem informamur,
ſedulam impendiſti operam; ſed & per reconditas
Philoſophorũ ſubtilitates penetraſti; ita tamẽ, vt
earum modum vtilitate definires: neque tàm lite-
ras, quam literarum fructum conſectarêre. Di-
greſſus à ſcholis, tanquam ex vmbra in ſolem, le-
ges, & conſuetudines patriæ cognoſcere, negoti-
orum varietatem atque multitudinem notare,
mores & ingenia hominum cognoſcere cæpiſti;
quod vt facilius conſequi poſſes, magno illi Ioan-
ni Zamoyſcio te in familiaritatem aggregaſti, à
quo omnem diſciplinæ Ciuilis rationem, vſu & re-
rum tractatione perdidiciſti. A quo, quaſi de manu
in manum Regi Stephano traditus, ita ſapientiſſi-
mo regi, fidẽ, induſtriã, dexteritatẽ, prudentiãq;
tuã probaſti; vt cũ aliorũ cõpluriũ opera, & ſedu-
litate vteretur; integritati ac fidei tuæ, grauiſſima
quæque negotia cõmitteret; intimorũq; conſilio-
rũ, omniũque arcanorũ, te conſciũ atque partici-
pẽ faceret. Itaq; omnes tui ornandi occaſiones
quæritans, primo quoque tempore, magni Secre-
tarii munus, munus amplum, & primis proximũ,

 quod

quod qui virtute & ingenio conſequi nequeunt, ambitione & eblanditis fauoribus eunt quæſitũ, maiore etiam ſua quàm tuâ lætitiâ tibi detulit. amplisq́ue ſacerdotiis fere vno eodemq́ue tempore te cohoneſtauit. Eadem acie mentis Religioſiſſimus Rex Sigiſmundus, virtutes tuas perſpexit, eadem iudicii trutina tua merita ponderauit, pari voluntate ſed maioribus occaſionibus te in maius extulit atque illuſtrauit: qui per omnes fere honorum apices te gradatim attollendo, tot infulis inſigniendo, conquieſcere nequiuit, ac ſuo in te amori ſatiſfacere, donec te in principe Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis ſolio collocatum videret. Nã primò Referendariũ, deinde Procancellarium regni te creauerat: præterea, ad inclytas Epiſcopas Culmenſem, Varmienſem, Cuiauiensẽ, magna alacritate euexerat. Quibus omnibus in muneribus atque dignitatibus, ita grauiter & conſtanter, integrè & incorruptè te geſſiſti; vt quò maior eſſet dignitas & magiſtratus, eò maior in te virtus eluceret, neque quisquam de te tanta conceperit, quin tu maiora ſemper præſtiteris. Nulla res fuit tantis difficultatibus abſtruſa, quam non ingenio & induſtria ſuſtinueris: nulla cauſa tam anceps & dubia,

quam non consilio & prudentia expediueris: nullum malum tam latens & occultum, quod non antè prçuideris, & ratione depuleris. nihil deniq; magnum hos triginta ferè annos, sine tè in Rep. actũ & transactũ fuit. Non negotiorum multitudine obrui, varietate confundi, magnitudine delassari potuisti: omnia alacriter aggrediebâre, fideliter exequebare, constanter conficiebas, in opere & negotio assiduus, vt omnia pænè propriis oculis & auribus lustrares, cognosceres, & quietem remissionemque animi, mutationem laboris censeres. Quid de inconcusso solidæ mentis robore, & summa iustitiæ tuæ laude dicamus? semper publici iuris fidelis administer ac legum æquissimus custos extitisti: nullius authoritate perfringi, nullius gratiâ inflecti, nullius precibus permulceri, nullius callidis persuasionibus expugnari vnquam potuisti; adeò, vt faciliùs foret Solem à suo cursu reuocari, quàm te ab incorrupta iudiciorũ relligione dimoueri. Accessit mira naturæ benignitas, comitas, facilitas, in admittendo mora nulla, audisti statim, dimisisti statim, audiebas attentè, respondebas beneuolè, promisisti hilariter, recusasti verecundè, cum mitibus leniter, ferocibus acriter, cum simplici-

bus apertè, cum verſutis cautè & circumſpectè egiſti. Si dicenda erat Sententia in Senatu, ſi principum externorum Oratoribus reſponſa danda fuerant; quæ Orationis dignitas? qui verborum lepos? quæ grauitas Sententiarum? quæ in vultu, oculis, totóque corpore fides & veritas? Nemo meliùs præteritorum recordabatur, nemo præſentia conſideratiùs examinabat, nemo futura ſagaciùs præuidebat; vt in nullius, quàm in tuam ſententiam crebriora fierent decreta atque iudicia. Nôrant enim ciues tui, eximium tuum in patriam amorem, inoffenſam rerum experientiam, integritatem, & conſtantiam; nôrant te nunquam affectum in conſilium adhibere, nec priuatis calculis publicas rationes ſubducere; ſed te id ſemper ſentire, conſulere, quod Reipublicæ eſſet vtile, & quod lex & religio iuberet. Quæ raræ virtutes tuæ, tantam tibi apud omnes authoritatem pepererant; vt ampliſſimi Ordinis animos quocunque velles inclinares, & cæteri à te diſſentire erubeſcerent. Atque dũ ita Regibus alacrem & promptam operam præſtas, publica munia ſumma fide induſtriáque tractas, vniuerſaque Reſpublica in tua fide, vigilantia, virtute, & prudentiâ, conquieſcit; non tamen Eccleſias tuas

quibus

quibus sũmo cum imperio præeras, curâ & sollicitudine destituisti, eas orbas & viduas reliquisti; sed subinde ad ea prouidẽtiæ tuæ oculos cõuertisti illarũ dignitati & vtilitati prospexisti, ac viros disciplinâ sapiẽtes, virtute cõstãtes, auctoritate graues, maturos iudicio delegisti, qui tua vice fungerẽtur ac in eam rẽ diligenter incumberent; ne quid religio detrimenti caperet, ne mala hæresum contagia serperent; vtque vitiorum stirpes eliderentur, ac virtutum pietatisque semina reflorescerent, atque assurgerent; Libertatem Sacri Ordinis animo sè vindicasti: Templa ex manibus Hæreticorum eripuisti, ac omnibus impietatis erroribus perpurgasti: bona ab Ecclesiis auulsa & abstracta, ad vetus Christi patrimonium studiosè reuocasti: miserum, attritum & exhaustum Colonorum genus, liberalissimis subsidiis, memorabili exemplo & ferè sine exemplo subleuasti. Quæ res, vt minus inter homines ostentationis & gloriæ popularis, ita apud Deum in cælis amplius præmium habet constitutum: tuque omnia, quæ benigne facis, soli Deo & vsibus humanis imputas, & præcipuam beneficii gloriam putas, fecisse, & iuuisse. Quæ causa fuit, cur te Deus tot, & tàm in diuersis locis, Ec

clesiarum gubernaculis præfecerit; vt solis instar, non vnam partem Sarmatiæ, sed pæne vniuersam beneficentiæ, vigilantiæ, ac sapientiæ tuæ luce perfunderes, foueres, & recreares, ac compluribus salutiferam opem & incolumitatem afferres. Quis igitur de tanto Antistite, tot dotibus insigni, tot dignitatibus aucto, tanta rerum gestarum gloria illustri, non gaudeat & triumphet? non Ecclesiæ & Reipublicæ plurimùm gratuletur? non omnia fausta atque fælicia certa animorum præsagitione præsumat? Quocirca & nos sapientiæ doctores, inter hos multiformes lætantium status, certantibus votis tibi gratulamur, & omnia auspicata, fortunata, secundis ominibus conprecamur. Neque tantopere gestimus atque lætamur, quòd tantum honorem sis consecutus, sed ideò magis, quod vt eum consequereris, iam olim merueris. Itaque antequam esses Episcopus, iam eras: eras in iudiciis hominum, in votis cunctorum, præcessērunt iudicia suffragia, desideria electionem, merita authoritatem & confirmationem. Neque tam tibi dignitas noua obtigit, quæ te augustiorem & venerabiliorē redderet, quã tu dignitati diuinitus datus es, qui ad eam omnia summa virtutum or-

namenta

namenta attulisti, plusque decoris & splendoris ei impertitus, quàm ab ea acceperis, maioribusque beneficiis eam tibi obligaturus, quàm illi obstrictus futurus. Cedent inuicto animi tui robori, & constantiæ omnia dura & aspera, nihil virtuti tuæ inuium & impeditum; authoritate & sapientia superabis & conficies õnia, & quo maiora antea à te gesta sunt; eò altiora cogitabis, & magis admiranda perficies. Neque ab aliis discere oportebit, quibus artibus & præsidiis magna conseruentur, parua augeantur, nutantia fulciantur, lapsa erigantur, tu tibi solus sufficies ad exemplum & gloriam: te tibi igitur imitandum propones, tecum certabis, te in consilium semper adhibebis; & ita in nullo negotio hærebis, titubabis, errabis. Cùm verò more velocissimi syderis, omnia inuiseris & lustraueris, & quasi vndecunque inuocatum numen omnibus rebus præsens fueris, ad nos quoq; plenissimos humanitatis & beneuolẽtiæ tuæ oculos conuerte, hancq; schölam Cracouien. omnis doctrinæ & virtutis parentem, quæ te feliciter educauit, & omni sapientia in spem maximorum honorũ erudiuit, in fidem, tutelam, & patrociniũ tuum ornandam & dotandam accipe. Succurre

 litteris

litteris laborantibus, erige & foue ingenia, quæ ſolus fauor oſtendit, ſolus ornat, ſolus ſuſtentat, ſola liberalitas alleuat, inter obices & anguſtias non emergunt. Nactus es campum de Republica litteraria benemerendi: aſſecutus es, vt quantum antea Academiæ prodeſſe velles, tantũ nunc poſſis. Tantum ergo nunc velis, quantum poſſis, accedat heroica voluntas opulentæ facultati. Hæc tibi à maioribus relicta eſt gloria, hanc famam præripe poſteris: nihil ad laudem amplius, nihil ad gloriam illuſtrius, ad ſalutem & dignitatem certius facere poteris: eiusque facti admirandi famam ſtupebunt exteri, poſteri admirabuntur, & omnes conſequentes anni immortalitatis laude perenni excipient. Nos verò artes eruditas ſumma æmulatione propagabimus, virosque ingenio acres, virtuteque integros, ad omnia munia Eccleſiæ & Reipublicæ formare & perpolire connitemur: tibique potiſſimum litteræ noſtræ ſeruient ac militabunt. Quod quidem ducentos amplius annos gnauiter præſtitimus ſemper, nullaque pars Reipublicæ, nullus ordo & ſtatus, noſtræ inſtitutionis beneficio caret: Sed quicquid hîc doctrina limatũ, humanitate excultũ eſt, ab hoc ferè fonte profluxit.

xit. Deus verò immortalis, qui te virtutum tuarum quasi manibus in hac sublimi Ecclesiæ ac Reipublicæ vigilia, & custodia collocauit, seruet mentem quam dedit; det vitam diuturnam quam mereris; omnibus consiliis tuis secundum ac ferentem ventum adspiret; actiones & conatus tuos, fælici exitu concludat; tuæque dignitati omnem circũfundat gloriam, & fælicitatem; vt & Respublica, tua sapientia, virtute, auctoritate, discussis dissensionum procellis, tranquilla pace fruatur; Ecclesia omnia dignitatis atque libertatis decora atque præsidia recuperet & tueatur: hæcque Academia nostra, maioribus industriæ solatiis aucta, nouisque honoris & liberalitatis accessionibus cumulata, exteras quasque scholas omni ingenii & humanitatis cultu prouocare possit, vberioresq; fructus in omne genus mortalium diffundat. In quo optatissimo omine desinimus, nosq; cum studiis nostris tuæ fidei, tutelæ, patricinio atque liberalitati tradimus, deuouemus, atque diligentissime etiam atque etiam commendamus.

FINIS.